

Et hoc patet, quia forma humanitatis est una unitate universalitatis: et ideo simul verum est, quod est homo, qui generatur, et est homo, qui generandus est; et est homo albus, et est homo niger<sup>1</sup>). *Incommunicabili*, quia nihil vetat, quin opposita attribuantur eidem uni, sed communicabili; uti esse Patrem, et Filium Deo; quoniam Natura Divina est una quidem, sed communicabilis pluribus Personis. *Secundum idem*, nempe secundum eandem partem, nihil enim obstat, quominus *opposita* eidem tribuantur subiecto secundum diversas partes; ut si quis crine quidem ruber, niger ore sit; quia diversae illae partes tamquam diversa subiecta censentur. *Ad idem*, nempe eodem respectu, vel in ordine ad eundem terminum; hinc si diversus habeatur respectus, vel terminus, possunt *opposita* de eodem praedicari. Ita potest quis pater et filius simul esse, et potest Plato dici maior Socrate, et minor Aristotele. *Eodem tempore*; quia eidem possunt attribui *opposita* diversis temporibus; sic enim nunc Petrus potest esse indoctus, post vero aliquot annos doctus.

Huic autem effato illud Aristotelis minime adversatur, *contrarium nempe sibi expetere contrarium*, ut inops locupletem, indoctus scientem. Namque Aristoteles id intellexit non *simpliciter*, sed *secundum quid*; nempe illud sibi voluit, contrarium non sibi expetere contrarium, ut ambo simul sint, et maneant contraria; puta tenebrae cum sole, nigrum cum candido, sordes et flagitia cum virtute; sed contrarium sibi expetere contrarium, ut tollatur alterum, quod privationem significat; puta indoctus amat doctum, vel potius doctrinam, non ut maneat indoctus, et fiat simul doctus, sed ut doctrinae particeps factus desinat esse indoctus.

XIX. CONTRARIA NATA SUNT FIERI CIRCA IDEM SUBIECTUM. Scilicet, oportet, ut circa subiectum, quod *specie*, aut *genere* idem sit, versentur. *Specie idem*; e. g., si sanitas in corpore animalis est, non in alio, quam in isto erit aegritudo. *Idem genere*; e. g., si calor est in corpore, erit etiam et frigus, nempe in toto genere corporis; nam fieri potest, ut in aliqua peculiari specie corporis, utpote in igne, insit, cui inesse nequit frigus, uti etiam humor

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. III, p. I, a. I, q. 3 *ad arg.*

aquae inest, cui inesse nequit siccitas. Itaque opposita circa subiectum idem genere aut specie versantur. Atque hinc colligere licet, ea, quae diversorum sunt praedicatorum, contraria non esse, sed toto genere diversa. Non autem necesse est, ut circa idem numero subiectum versentur; nisi agatur de privative oppositis, siquidem in uno, eodemque oculo, in quo est visus, nata est inesse coecitas. Rursus etiam in privative oppositis, ipsa dicuntur circa idem numero versari, si agatur de *subiecto*, quod est *substantia*; « circa actionem autem, cum sit accidens, non oportet illud habere veritatem, quod bonum et malum sint circa eandem actionem numero, sed sufficit quantum ad legem oppositionis, quod habeant fieri circa actionem eandem in specie<sup>1</sup> ».

XX. CONTRARIA SE MUTUO EXPELLUNT A SUBIECTO, NISI EORUM ALTERUM INSIT A NATURA. Ita calor et frigus in corpore sunt, et circa corpus versantur, ita ut modo calor ex eo frigus depellat, modo frigus calorem<sup>2</sup>. Dicitur autem, *nisi eorum alterum insit a natura*; quia si eorum alterum subiecto suo naturaliter inest, a contrario suo expelli non potest; e. g., frigus numquam ab igne calorem depellet, neque siccitas humorem ab aqua; siquidem quod naturaliter inest, expelli plane nequit, salvo eo, in quo est<sup>3</sup>. Quod si contraria mutuo se expellunt e subiecto, mutua esse potest inter ea vicissitudo in subiecto, sive *potentia et successive* eidem subiecto inesse possunt. Hinc aliud extat effatum:

XXI. CONTRARIUM EST POTENTIA ALIUD CONTRARIUM. Quod tamen accipiendum est *in concreto*, sive de denominatis contrariorum, subiectum enim, quod est *actu* tale, est *potentia* aliud contrarium, e. g., aer, qui est *actu* calidus, *potentia* est frigidus; non item *in abstracto*, ipse enim calor *formaliter* non potest esse frigus.

XXII. CONTRARIA SUB EODEM GENERE MAXIME DISTANT. Scilicet contrarium magis distat a suo contrario, quam

<sup>1</sup> S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XLI, a. I, q. 1 *ad arg.*

<sup>2</sup> « Contraria contrariis perimuntur, sicut per aquam ignis extinguitur »; Origen., *In Ep. ad Rom.*, lib. IX, n. 24.

<sup>3</sup> Inde etiam colligitur contraria, uti paulo ante diximus, versari circa idem, dummodo *subiectum aequaliter se habeat ad utrumque contrariorum*; 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XXIV, a. 10 ad 1.



simplex eius negatio; e. g., nigrum magis distat ab albo, quam simpliciter non album; siquidem omne nigrum est non album, sed non vicissim<sup>1</sup>.

XXIII. CONTRARIETAS, seu oppositio relativa, EST OMNIUM MINIMA. Id patet tum ex eo, quod relatorum unum non potest existere sine alio, tum ex eo, quod relata, si ad diversos terminos comparantur, in subiecto eodem numero naturaliter simul esse possunt; siquidem homo dicitur pater et filius respectu diversorum. Idem declarari potest hunc in modum: Quae maiorem inter se habent naturae coniunctionem et societatem, illa inter se minus pugnant; sed relata maiorem inter se habent naturae societatem, quam contraria, ut perspicue constat; contraria autem, uti iam diximus<sup>2</sup>, minus quam privantia, et haec minus, quam contradictoria, inter se pugnant.

Praestat hic afferre duas illas causas, ex quibus, secundum s. Thomam, oppositio relativa a ceteris distinguitur, et quomodo relationes sint in Deo, explicatur: «Oppositio relationis in duobus differt ab aliis oppositionibus. Quorum primum est, quod in aliis oppositis unum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum removet. . . Non autem est hoc in relativis. Non enim per hoc opponitur filius patri, quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur secunda differentia, quia in aliis oppositis semper alterum est imperfectum; quod accidit ratione negationis, quae includitur in privatione, et altero contrariorum. Hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae<sup>3</sup>, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater, et filius. Et ideo relatio magis potest attribui Deo, quam aliae oppositiones. Ratione quidem primae differentiae potest attendi oppositio relationis inter creaturam, et Deum, non autem alia oppositio; cum ex Deo sit magis creaturarum positio, quam earum remotio; est tamen aliqua habitudo creaturarum ad Deum. Ratione vero secundae differentiae est in ipsis Divinis Personis, in quibus nihil imperfectum esse potest, oppositio relationis, et non alia<sup>4</sup>».

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXIV, a. 4 c.—<sup>2</sup> Vid. p. 79.

<sup>3</sup> De his vid. litt. R.—<sup>4</sup> Qq. *dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 4.

XXIV. Ex CONTRARIIS OMNIA FIUNT. Hoc effatum *contrarietatem* maxime accipit pro *privatione*, eaque omnia complectitur, quae fiunt per *transmutationem*. Et sane, vere dici potest: Hoc ens factum est ex aliquo non ente, scilicet ignis ex non igne, album ex non albo. Quare illud *ex* maxime denotat subiectum *transmutationis*, nempe ibi fuisse *privationem formae per mutationem* acquisitae, vel terminum *a quo*, hoc est, e. g., ex non igne fit ignis. «Omne, quod generatur, inquit s. Thomas, generatur ex contrario<sup>1</sup>». Hinc etiam verum est illud, *Contraria non fiunt ex se invicem*, quippe quod contraria non fiunt ex se, tamquam ex partibus constituentibus, sed dumtaxat tamquam ex terminis.

XXV. CONTRARIORUM CONTRARIAE SUNT CAUSAE. Intellegendum est hoc effatum de causis proximis, et particularibus, non autem de causa remota et universali. Nam, «cum contraria, quemadmodum s. Thomas advertit, conveniant in uno communi, necesse est in eis supra causas contrarias proprias inveniri unam causam communem<sup>2</sup>». Unde ostendit nullum esse Manichaeorum argumentum, qui ex illo effato contraria principia, unum boni, alterum mali adstruunt<sup>3</sup>. Insuper, quoad ipsas causas proximas, eo modo intelligendum est, quo illud explicavimus, *Agens unum, in quantum unum, immediate non producit, nisi unum, seu, Idem semper facit idem<sup>4</sup>*. Exinde patescit contrarios effectus exurgere posse 1<sup>o</sup> ab eadem causa libera; 2<sup>o</sup> a causa, quae illos gignat *per accidens*; 3<sup>o</sup> Secundum diversas condiciones vel sui, vel subiecti, in quod actionem exerat. Hinc etiam contra Manichaeos s. Bonaventura: «Ad illud, quod obiicitur, quod contrariorum contrariae sunt causae, dicendum, quod ista propositio habet veritatem, secundum quod intelligitur de contrariis, quorum utrumque est aliqua natura, et in causis agentibus naturaliter, et quae sunt ad unum effectum determinatae; aliter manifeste est falsum. Nam idem Deus, etiam secundum Manichaeos, fecit calidum et frigidum, et eadem rationalis potentia, secundum Philosophum, est causa oppositorum. Et ideo non habet locum in malis, quia malum non dicit aliquam

<sup>1</sup> *In lib. 1 Sent.*, Dist. I, q. I, a. 4 *sol.*

<sup>2</sup> I, q. XLIX, a. 3 c.—<sup>3</sup> *Ibid.*—<sup>4</sup> P. 42.



naturam, secundum quod malum, et quia est a voluntate secundum quod libera, quae non est determinata ad alterum contrariorum<sup>1</sup>). *Rursus*: « Contrariorum contrariae sunt causae, intelligitur de causis intrinsecis, nam de causa extra non habet veritatem; et ideo, quia nescivit distinguere, deceptus est pessimus Manichaeus. Et quod ita sit, patet. Si enim contrariorum contrariae sunt causae primae producentes, tot essent principia, quot sunt genera contrarietatum; ergo alius Deus fecisset calidum, et alius frigidum, et sic de aliis contrarietatibus. Si quis ita ageret, ab omnibus deridendus esset, quanto magis tullissimus Manichaeus?<sup>2</sup> »

XXVI. CONTRARIORUM CONTRARIA SUNT CONSEQUENTIA. E. g., quia virtus consequitur fortitudinem, etiam contrarium virtutis, nempe vitium, consequitur contrarium fortitudinis, nempe ignaviam. Iam hoc effatum accipiendum est 1<sup>o</sup> de iis, in quibus utrinque idem modus repugnantiae existit; e. g., contrarium eius, quod consequitur calorem, consequitur frigus, dummodo calor et frigus secundum eandem graduum intensionem sumantur; 2<sup>o</sup> de contrariis, quatenus sunt contraria; quocirca ex eo, quod timiditas consistit in defectu, non consequitur fortitudinem in excessu consistere, nam fortitudo et timiditas non veluti defectus et excessus, sed tamquam virtus et vitium sibi opponuntur; 3<sup>o</sup> de consequentibus, quae profluunt *per se* ex ipsa ratione *contrarietatis*; uti, virtus est expetenda; ergo vitium est fugiendum: contra, non valet, album est dulce; ergo nigrum est amarum; dulcedo enim *per accidens* convenit albo, neque album ratione dulcedinis est nigro contrarium.

XXVII. CONTRARIORUM EADEM EST DISCIPLINA. Sensus est: Ad quam facultatem spectat rem aliquam recte cognoscere, spectat etiam illius contrarium perpendere, secundum illud n. XVII explicatum, *Contraria iuxta se posita* etc. Hinc agit Medicina de sanitate et de morbo; Ethica de virtute et vitio; Logica de vero et falso<sup>3</sup>. Hoc autem effatum maxime respicit scientiam ex toto sumtam, haec enim in suo ambitu etiam contraria amplectitur; atque in-

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XXXIV, a. I, q. 1 ad arg.

<sup>2</sup> Ibid., Dist. I, p. 1, a. II, q. 1 ad arg.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. LIV, a. 2 ad 1.

super accipiendum est de contrariis, sive oppositis, quae includuntur sub eadem *ratione formali* ipsius scientiae; hinc ex eo quod metaphysica res immateriales contemplatur, materiales etiam non speculatur, harum enim consideratio est extra eius institutum.

XXVIII. CONTRARIORUM EADEM EST SCIENTIA. Hoc effatum a superiori in eo differt, quod respicit particularem scientiam alicuius rei: scilicet, qua cognitione res aliqua cognoscitur, per eandem etiam cognoscitur eius contrarium<sup>4</sup>; nam, ut antea dictum est, contraria a se mutuo in cognitione dependent. Qua in re duo adnotanda sunt: 1<sup>o</sup> *Contraria* hic accipiuntur pro quocumque opposito. Nam vel ea se habent uti res et privatio, vel negatio rei, et tunc privatio, seu negatio cognoscitur per rem illam, quam aufert privando, aut negat, e. g., malum per oppositam formam boni, nihilum per eius oppositum, quod est ens, cognoscitur; vel opponuntur uti *proprie* et *strictè* contraria, et ita unum cognoscitur per alterum, ut virtus per vitium, et vicissim; vel sunt opposita *relative*, et tunc sicut unum non potest esse sine altero, ita nec cognosci. 2<sup>o</sup> Alterum oppositorum *per se* et *primario* in eadem scientia consideratur, alterum *secundario*, *per accidens*, et *ex occasione perfectioris*. Ita cognoscens sanitatem, consequenter cognoscit etiam rationem morbi, saltem quatenus privatio est. Hinc sensus effati est, quod cognitio alterius oppositi fit non eodem *actu formali*, sed tantum *occasionaliter*.

Praestat etiam cum Seraphyco Doctore rationem adnotare, ob quam contrariorum eadem est scientia, at non idem affectus: « Prima quidem ratio est quia voluntas separat ea, quae virtualiter sunt coniuncta; unde aliquis vult antecedens, et tamen non vult consequens. Cognitio autem non separat ea quae naturaliter sunt coniuncta; unde qui novit antecedens, quodam modo novit consequens. Quoniam ergo per consequentia in ipso ad opposita sequuntur oppositae proprietates, per quas habent cognosci, ut si album disgregat, nigrum congregat; hinc est, quod unus potest esse habitus cognitivus oppositorum, quamvis non sit habitus unus affectivus. Alia etiam dissimilitudo est, quia potentia cognitiva consimili actu et con-

<sup>4</sup> Vid. p. 81.



simili ratione negotiari potest super oppositorum utrumque; iudicat enim de recto et obliquo per rationem ipsius recti; sed affectiva non sic; immo si appetit unum oppositorum, reliquum respuit; si amat unum, reliquum odit, per se loquendo. Et ratio huius est, quia affectus magis unit ipsi affectibili, quam cognitiva cognoscibili; unde amor transformat amantem in amatum; quare propterea non sequitur, quod sic una possit esse cognitio oppositorum, secundum quod opposita, quod propter hoc oppositorum habeat esse affectio una, vel etiam una virtus affectionis directiva<sup>1</sup> ».

XXIX. CONTRARIORUM EADEM EST RATIO. Scilicet, cum contraria se habeant uti perfectum, et imperfectum, unum contrariorum est ratio alterius; e. g., sicut virtus aliqua excellenter est bona, sic contrarium eius vitium excellenter est malum. Potest etiam per illud *ratio* intelligi *definitio*; nam qui scit definitionem alicuius rei, etiam aliquo modo eadem definitionem eius contrarium cognoscit, et defectum; uti iam antea explicatum est.

XXX. CONTRARIORUM UNO POSITO, PONITUR ALTERUM. Ad cuius explicationem haec prae oculis habenda sunt: 1° Id effatum non semper verum est quoad contraria *privativa*; hinc ex eo, quod Summum Bonum existit, non sequitur ut existat etiam summum malum; itemque ex eo, quod datur finitum *actu* in rebus naturalibus, non consequitur ut detur etiam infinitum *actu*; haec enim *privative* opponuntur. 2° Quod spectat ad contraria *positiva*, verum est, si illud dumtaxat significet, quod natura numquam produxit contrariorum unum sine altero<sup>2</sup>, falsum autem, si quamdam necessitatem denotaret, ita ut si contrariorum unum in rerum natura existat, alterum etiam existere necesse sit; siquidem haud repugnat, e. g., omnia colorata esse alba: « Amplius autem in contrariis considerando non est necessarium, quod si alterum contrarium sit, reliquum sit ex necessitate. Si enim ponamus omnia animalia esse sana, tunc per talem hypothesim sanitas est, sed languor non est; similiter si ponamus omne corpus terminatum esse album, tunc albedo quidem est, nigredo autem non esset, quia si esset, oporteret quod esset in

<sup>1</sup> In *lib. III Sent.*, Dist. XXVI, a. II, q. 1 *ad arg.*

<sup>2</sup> Vid. *Arist., De Coelo*, lib. II, c. 3.

aliquo corpore terminato, et talia posuimus omnia esse alba<sup>1</sup> ». 3° Potest etiam illud effatum explicari hoc modo: Contrariorum uno posito, alterum ponitur *actu*, vel *potentia* in alio subiecto. Quod si aliquando in eodem subiecto ponitur, intelligendum est de contrariis, quae illi insunt mutabiliter, atque haec non nisi *successive*, et alio atque alio tempore ponuntur, numquam vero *actu* et respectu eiusdem *numero* subiecti, eiusdemque temporis<sup>2</sup>. Hinc aliud effatum enascitur:

XXXI. CONTRARIORUM UNO POSITO, NEGATUR ALTERUM. Quod intelligendum est de contrariis immediatis, quae nempe medium inter se excludunt; atque respectu eiusdem *numero* subiecti. Sic Petrus sanus negatur esse aeger. Vel etiam de contrariis *mediatis*, sed ita ut, non posito, alterum negetur, at, uno sublato, non nisi contingenter ponatur alterum, ut, si paries est albus, uno potest idem esse niger, saltem qua parte albus est, sin albus non est, non sequitur necessario, ut sit niger, quia potest esse ruber<sup>3</sup>.

XXXII. CONTRARIORUM UNUM SEMPER EST PRIVATIO ALTERIUS. Quo effato non illud significatur, alterum contrariorum esse *formaliter* privationem alterius; sed unum contrarium inferre privationem alterius. Sic vitium infert privationem virtutis; frigus caliditatis. Cum enim contraria se mutuo ex eodem subiecto expellant, necesse est, ut, ubicumque est alterum contrariorum, ibi alterius sit privatio. Vel etiam explicari potest hoc sensu: Unum contrarium est imperfectum et deficiens respectu alterius, ut amarum respectu dulcis, ideoque cum illo per modum privationis comparatur; si quidem quod perfectius est, rationem habet habitus, et quod imperfectius, est instar privationis<sup>4</sup>.

XXXIII. CONVENIENS FIT A CONVENIENTI. 1° Hoc theorema significat in generatione substantiae, secus ac in productione accidentium, quae a diversis causis agentibus, et diversis modis oriri possunt, aliquam requiri convenientiam, quae in eo consistit, ut sit determinatum agens, cuius virtute ille determinatus effectus de potentia in a-

<sup>1</sup> B. Alb. M., *De Praedication.*, tract. VII, c. 10.

<sup>2</sup> Vid. p. 81. — <sup>3</sup> Vid. p. 70-71.

<sup>4</sup> Vid. s. Thom., I, q. XLVIII, a. 1 ad 1.



etum extrahi possit. Quod locum habet etiam in plantis, et in animalibus, quae ex putri materia generari a quibusdam dicuntur. Nam, secundum ipsos, praeterquam quod harum substantiarum generatio non producitur a materia ob aliquam vim sibi propriam, sed ex determinata vi, quam Deus in creatione mundi materiae indidit, fit, determinatas circumstantias, et determinata loca et tempora expostulat; e. g., in Aegypto ex putri materia saepius generantur mures, et in nostro coelo vermes, et locustae<sup>1</sup>; et insuper determinatas materias, nam ex equi cadavere vespae, et ex cadavere bovis apes generantur. 2<sup>o</sup> Si theorema de convenientia quoad speciem inter generans, et generatum intelligi velit, verum non est, nisi his positis conditionibus, nempe quod agens 1<sup>o</sup> sit principale, non instrumentale<sup>2</sup>; sit proximum, non remotum, siquidem natura effectus pendet a causa proxima, a qua immediate promanat; 2<sup>o</sup> sit causa per se, non per accidens, quia « causa per accidens non est proportionata ad effectum, sed solum causa per se<sup>3</sup> ».

## D

## DISTINCTIONES

I. DATIO—MISSIO—PROCESSIO. Differentia inter has voces, prout in theologicis disciplinis adhibentur, ita ab Aquinate explicatur: « Processio, in quantum processio, dicit realem distinctionem et respectum ad principium, a quo procedit, et non ad aliquem terminum. Datio autem non importat distinctionem dati a principio, a quo datur, quia idem potest dare seipsum, sed tantum ab eo, cui datur. Sed missio ponit distinctionem in misso et ad principium, et ad terminum<sup>4</sup> ».

II. DATUM—DONUM. Docente s. Bonaventura, « quamvis in Divinis utrumque dicatur et *datum* et *donum*, tamen convenientius dicitur *donum*. Et huius duplex est ratio. Una

<sup>1</sup> Vid. Themist., *De An.*, lib. I, c. 24.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 72.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXI, q. I, a. 3 sol.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XV, q. I, a. 1 sol.

quidem est, quia *datum*, cum sit participium, vel nomen verbale, concernit tempus: *donum* autem a tempore subtrahit; et ideo quia omnia Divina supra tempus sunt, convenientius dicitur in Divinis *donum*, quam *datum*. Alia ratio est, quia *donum* supra rationem *dati* addit conditionem liberalitatis, sive irredibilitatis, quae est conditio magnae nobilitatis; et ideo maxime competit Divinis<sup>1</sup> ».

III. DEBITUM EX MERITO—DEBITUM EX CONDITIONE NATURAE. Primum in eo positum est, ut talia operans talia consequatur. Alterum in eo, ut talis natura tales conditiones, vel proprietates expostulet; e. g., *debitum* est homini, habere rationem, et alia, quae ad humanam naturam pertinent. Qua in re illud obiter adnotamus quod docet s. Thomas<sup>2</sup>, neutro modo Deum creaturis *debitorem* dici posse, cum enim haec debita praesumant divinam ordinationem, sequitur, ut potius Deus sibi ipsi debitor sit, quatenus debitum est, ut divina ordinatio impleatur.

IV. DEFECTUS—MALUM—PECCATUM—CULPA. *Defectus* simplicem negationem alicuius boni significat. *Malum* autem significat privationem, seu defectum entitatis in re, quae illam naturaliter habere debet; e. g., « carentia vitae in lapide potest dici defectus, sed non malum; homini vero mors est et defectus, et malum<sup>3</sup> ». Hinc malum, quod vulgo dicitur *metaphysicum*, seu defectus omnimodae perfectionis in ente creato, non est proprie malum, quia quodlibet ens creatum perfectionem illam nedum expostulat, excludit. *Peccatum* consistit in operatione, « secundum quod non est directa, ut finis exigit; secundum quod Grammaticus non recte scribit, nec parat recte medicus potionem ». *Culpa* « super peccatum addit, ut sit voluntatis actus »; nam « peccatum est et in his, quae secundum naturam sunt, et in his, quae sunt secundum artem; sed culpa non potest esse, nisi in his, quae per voluntatem sunt; nihil enim rationem culpae obtinet, nisi quod vituperabile est, neque vituperium alicui debetur propter inordinatum actum, nisi ille actus suo dominio subiaceat; habere autem dominium super

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XVIII, a. I, q. 3 resol.

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXI, a. 1 ad 2; ibid. q. CXIV, a. 1 ad 3. Vid. etiam s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, dub. 3.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 2 sol.